

Alte Drucke

**M. T. CICERONIS || EPISTOLÆ AD || COMPLVRES SCRIPTÆ, ||
QVAS VVLGO FAMILIARES || APPELLARVNT, || EDITÆ || DE
SENTENTIA || IOACHIMI CAMERARII || ...**

Cicero, Marcus Tullius

Lipsiae, 1578

VD16 ZV 31063

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD A. TORQVATVM ET CAETEROS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149712

da moderate tulimus: sic hanc non solum aduersam, sed etiam funditus euersam fortunam fortiter ferre debemus: hoc saltem in maximis malis boni sequamur, VT MORTEM QUAM ETIAM beati contemnere debeamus, propterea quod nullum sensum esset habitura, nunc sic affecti non modo contemnere debeamus, sed etiam optare. Tu, si me diligis, fruire isto ocio, tibi persuade, PRÆTER CULPAM AC PECCATVM, (quo semper caruisti & carebis) homini accidere nihil posse, quod sit horribile aut pertimescendum. Ego, si videbitur recte fieri posse, ad te veniam breui: si quid acciderit, vt mutandum consilium sit, te certiore faciam statim. Tu ita fac cupidus mei videndi sis, vt istinc te ne moueas tam infirma valetudine, nisi ex me prius quaesieris per literas, quid te velim facere. Me velim, vt facis, diligas, valetudinē, tuā & tranquillitati animi seruias. Vale.

[a] M. T. CICERONIS EPI. 78.

Alia andrea STOLARVM LIBERATA.
TORQVATVM ET
CÆTEROS.

79 M. C. A. TORQVATO S. P. D.

ETSI EA PERTVRBATIO EST omnium rerum, vt suae queng, fortuna maxime paeniteat, nemoq, sit, quin vbius, quam ibi, vbi est, esse malit: tamen mihi dubium non est, quin hoc tempore, bono viro Romae esse, miserrimum sit. Nam etsi quocung, in loco quisq, est: idem est ei sensus, & eadem acer-

acerbitas ex interitu rerum & publicarum & suarum : tamen oculi augent dolorem , quia ea , quae ceteri audiunt , intueri coguntur , nec auertere a miseris cogitationem sinunt . Quare etsi multarum rerum desiderio te angi necesse est : tamen illo dolore , quo maxime te confici audio , quod Romae non sis , animum tuum libera . Etsi enim cum magna molestia tuos tuasq; desideras : tamen illa quidem , quae requiris , suum statum tenent : nec melius si tu adesses , tenerent : nec sunt villo in proprio periculo . Nec debes tu , cum de tuis cogitas , aut precipuam aliquam fortunam postulare : , aut communem recusare . De te autem ipso Torquate , est tuum sic agitare animo , vt non adhibeas in consilium cogitationum tuarum desperationem aut timorem , nec enim is qui in te adhuc iniustior , quam tua dignitas postulabat , fuit , non magna signa dedit animi erga te mitigati : [b] nec tamen is ipse , à quo salus petitur habet explicatam aut exploratam salutis rationem sua . CVM QVE OMNIUM bellorum exitus incerti sint , ab altera victoria tibi periculum nullum esse perspicio , quod quidem sciunctum sit ab omnium interitu : ab altera te ipsum nunquam timuisse certo scio . Reliquum est , vt te id ipsum , quod ego quasi consolationis loco pono , maxime excruciet , commune periculum Reipub. cuius tanti mali , quamvis docti viri multa dicant , tamen vereor , ne consolatio vlla possit vera reperiri , prater illam , quae tanta est , quantum in cuiusq; animi roboris est , atque nervorum . SI ENIM BENE sentire recteq; facere , satis est ad bene beateq; viuendum : non vereor , ne eum , qui se optimorum consiliorum conscientia susten-

tare possit miserum esse nefas sit dicere. Nec enim nos
 arbitror victoria premijs ductos patrii olim & libe-
 ros et fortunas reliquisse: sed quoddam nobis officium
 iustum et pium & debitum Reipub. nostraeq; digni-
 tati videbatur: qui neque cum id faciebamus, tam era-
 mus amentes, ut explorata nobis esset victoria. Quare
 si id euenit, quod ingredientibus nobis in causam pro-
 positum fuit accidere posse: non debemus ita cadere
animis: quasi aliquid euenerit, quod fieri posse nun-
 quam putauerimus. Simus igitur ea mente, qua ratio
 et veritas praescribit, ut nihil in vita nobis praestandum
 praeter culpam putemus: eaq; cum careamus, omnia
 humana placate & moderate feramus. Atq; haec eo
 pertinet oratio, ut perditis rebus omnibus tamen ipsa
 virtus se sustentare posse videatur. Sed si est spes ali-
 qua rebus communibus, ea tu, quicumq; status est futu-
 rus, carere non debes. Atqui [a] hoc mihi scribenti
 veniebat in mentem, me eum esse, cuius tu desperatio-
 nem accusare solitus esses, quemq; autoritate tua cum
 et antem & dissidentem excitare. Quo quidem tempo-
 re non ego causam nostram, sed consilium improba-
 bam. Sero enim nos ijs armis aduersari videbam, quae
 multo ante confirmata per nosmetipsos erant: dole-
 bamq; pilis & gladijs, non consilijs neq; autoritatibus
 nostris de iure publico disceptari. Neq; ego ea, quae fa-
 cta sunt, fore cum dicebam, diminabam futura: sed
 quod & fieri posse, & exitiosum fore, si euenisset, vide-
 bam: id ne acciderit, timebam: praesertim cum si mi-
 hi alterutrum de euentu atq; exitu rerum promitten-
 dum esset, id futurum quod euenit, exploratius possem
 promittere. His enim rebus praestabamus, quae non pro-
 deunt in aciem: vsu autem armorum & militum ro-
 bore

bore inferiores eramus. Sed tu illum animum nunc adhibe, quo me tum esse oportere censebas. Hæc ego scripsi, quod mihi nunc Philargyrus tuus omnia de te requirenti fidelissimo animo (vi mihi quidem visus est) narrauit, te interdum solitum solere esse vehementius: quod facere non debes, nec dubitare, quin aut aliqua Repub. sis futurus, qui esse debes: aut perditæ, non afflictior conditione, quam ceteri. Hoc vero tempus, quo exanimati omnes & suspensi sumus, hoc moderatori animo ferre debes, quod et in ea vrbe es, ubi nata & alta est ratio ac moderatio vitæ: & habes Seruium Sulpitium, quem semper vnice dilexisti: qui te profecto & benevolentia & sapientia consolatur, cuius si essemus & auctoritatem et consilium secuti, togati potius potentiam, quam armati victoriam subissemus. [b] Sed hæc longiora fortasse fuerunt, quam necesse fuit: illa quæ maiora sunt, breuius exponam. Ego habeo, cui plus, quam tibi debeam, neminem: quibus tantum debebam, quantum tu intelligis, eos mihi huius belli casus eripuit, qui sim autem hoc tempore, intelligo. Sed quia NEMO EST tam afflictus, qui, si nihil aliud studeat, nisi id, quod agit, non possit nauare aliquid & efficere: omne meum consilium, operam, studium, certe velim existimes tibi tuique liberis esse debitum. Vale.

M. C. A. TORQUATO S. D. 80

PETO A TE, NE ME PUTES
obliuione tui rarius ad te scribere, quam solebam:
sed aut grauitate valetudinis, quæ tamen iam
paululum videor leuari, aut quod absim ab vrbe, vt

L 5 qui

Ad am
Hans
Bar

M. T. C. EPIST. FAM.

qui ad te profiscatur, scire non possum. Quare velim
ita statutum habeas, me tui memoria summa benevo-
lencia tenere, tuaq; omnes res non minori mihi cu-
ra, quam meas esse. Quod maiore in varietate ver-
sata est adhuc tua causa, quam homines aut vole-
bant aut opinabantur: mihi crede, non est pro malis
temporum, quod moleste feras. Necesse est enim aut
armis urgeri Rempub. sempiternis, aut his positis re-
creari aliquando, aut funditus interire. Si arma vale-
bunt, nec eos a quibus recesseris, vereri debes; nec eos,
quos adiuvisti. Si armis aut conditione positis, aut de-
fatigatione abiectis, aut victoria detractis, civitas res-
piraverit: & dignitate tua frui tibi & fortunis lice-
bit. Sin omnino interierint omnia, fueritq; is exitus,
quem vir prudentissimus M. [a] Antonius iam tum
timebat, cum tantum instare malorum suspicabatur:
misera est illa quidem consolatio, tali praesertim civi
& viro, sed tamen necessaria. NIHIL ESSE
precipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat uni-
versis. Quae vis insit in his paucis verbis (plura enim
committenda epistola non erant) si attendes quod fa-
cis, profecto etiam sine meis literis intelliges, te ali-
quid habere, quod speres, nihilq; quod aut hoc aut
aliquo Reipublica statu timeas: omnia si interierint,
cum superstitem te esse Reipublica, ne si liceat qui-
dem, velis, ferendum esse fortunam, praesertim quae
absit a culpa. Sed hac haecenus. Tu velim scribas
ad me, quid agas, & ubi futurus sis, ut aut quo
scribam, aut quo veniam, scire possim. Vale.

81 M. C. S. D. A. TORQUATO.

SUPERIORIBVS LITERIS

bene-

benevolentia magis adductus, quam quod res ita pos-
 stularet, fui longior. Neq³ enim confirmatione nostra
 egebat virtus tua, neq³ erat ea mea causa atq³ for-
 tuna, ut ego, cui ipsi omnia deessent, alterum confir-
 marem. Hoc autem tempore breuior esse debeo: siue
 enim tum nihil opus fuit tam multis verbis, nihilo ma-
 gis nunc opus est: siue tam opus fuit, illud satis est,
 praesertim cum accesserit nihil noui. Nam etsi quoti-
 die aliquid audimus earum rerum, quas ad te perferri
 existimo: summa tamen eadem est & idem exitus,
 quem ego tam video animo, quam ea quae oculis cer-
 nimus: nec vero quicquam video, quod non idem te
 videre certo sciam. Nam etsi quem exitum acies
 80. [b] habitura sit, diuinare nemo potest: tamen &
 belli exitum video, & si id minus, hoc quidem certe,
 cum sit necesse alterutrum vincere, qualis futura sit,
 vel haec vel illa victoria. Idq³ cum optime perspexi, ta-
 le video, nihil ut mali videatur esse futurum, si id vel
 ante ceciderit, quod vel maximum ad timorem propo-
 nitur. ITA ENIM VIVERE, UT NON
SIT VIVENDUM, miserrimum est: mori au-
tem nemo sapiens miserum duxit, ne beato quidem.
 Sed in ea es vrbe, in qua haec vel plura & ornatiora
 parietes ipsi loqui posse videantur. Ego tibi hoc con-
 firmo, ETSI LEVIS EST consolatio ex mi-
seriis aliorum, nihilo te nunc maiore in discrimine ef-
 se, quam quemuis, aut eorum qui discesserint, aut eo-
 rum qui remanserunt: alteri enim dimicant, alteri vi-
 ctorem timent. Sed haec consolatio levis, illa grauior,
 qua te vti spero: ego certe vior: nec enim dum ero,
 angar vlla re, cum omni pacem culpa: & si non ero,
 sensu omnino carebo. Sed rursus *ῥαῖνα* eis ἀδύνα-
 qui

qui ad te hæc. Mibi tu, tui, tua omnia maxime cura sunt, & dum viuam, erunt. Vale.

82 M. T. C. TORQUATO S. D.

NOVI, QUOD AD TE SCRIBEREM, nihil erat: & tamen si quid esset, sciebam te à tuis certiore fieri solere. De futuris autem rebus etsi semper difficile est dicere, tamen interdum coniectura possis propius accedere, cum res est eiusmodi, cuius exitus prouideri possit. Nunc tantum videmur intelligere, non diuturnum bellum fore: etsi id ipsum nonnullis videatur secus. Equidem cum hæc scribebam, aliquid iam actum [a] putabam: non quod ego certo scirem, sed quod haud difficilis erat coniectura. NAM CVM omnis belli Mars communis, & cum semper incerti exitus præliorum sint: tamen hoc tempore magnæ vtrinq; copię ita paratæ ad pugnandum esse dicuntur, vt, vtercunq; vicerit, non sit mirum futurum. Illa in dies singulos magis magisq; opinio hominum confirmatur, etiamsi inter causis armorum aliquantum intersit, tamen inter victoriam non multum interfuturum. Alteros propemodum iam sumus experti: de altero, nemo est, quin cogitet, quam sit metuendus iratus victor armatus. Hoc loco si videor augere dolorem tuum, quem consolando leuare debebam, fateor me communium malorum consolationem nullam inuenire, præter illam, quæ tamen, si possis eam suscipere, maxima est, quaque ego quotidie magis vtor: CONSCIENTIAM RECTÆ voluntatis maximam consolationem esse rerum incommodarum: nec esse vllum magnum malum, præter culpam. A qua quan-

quando tantum absumus, ut etiam optime senserimus: euentusq; magis nostri consilij, quam consilium reprehendatur: & quando prestitimus, quod debuimus, moderate, quod euenit, feramus. Sed hoc mihi tamen non sumo, ut te consolet de communibus miserijs, quæ ad consolandum maioris ingenij, & ad ferendum singularis virtutis indigent. Illud cuius facile est docere, cur præcipue tu dolere nihil debeas. Eius enim, qui tardior te in laudando fuit, quam fore putaramus, non est mihi dubia de tua salute sententia: de alijs autem non arbitror te expectare, quid sentiam. Reliquum est, ut te angat, quod absis à tuis tam diu: res molesta, ab ijs præsertim [b] pueris, quibus nihil potest esse festiuus. Sed ut antea ad te scripsi, tempus est huiusmodi, ut suam quisq; conditionem miserrimam putet: & ubi quisq; sit, ibi esse minime velit. Equidem nos quod Romæ sumus, miserrimum esse duco, non solum quod in omnibus malis acerbius est videre, quam audire: sed etiam, quod ad omne casus subitorum periculorum magis obiecti sumus, quam si abessemus: & si me ipsum consolatorum tuum non tantum literæ, quibus semper studui, quantum longinquitas temporis mitigauit. Quanto fuerim dolore, meministi. In quo prima illa consolatio est, vidisse me plus, quam ceteros, cum cupiebam, quamuis iniqua conditione, pacem. Quod etsi casu, non diuinatione mea factum est, tamen hac inani prudentiæ laude delector. Deinde, quod mihi ad consolationem commune tecum est, si iam vocer ad exitum vite, non ab ea Republica auellar, qua cendum esse doleam, præsertim cum id sine vilo sensu futurum sit. Adiuuat enim etas & acta iam vita: quæ
cum

cum cursu suo bene confecta delectatur, cum vetat in eo vim timere, quo nos iam natura ipsa pene perduxerit. Postremo, is vir, vel etiam ii viri hoc bello occiderunt, ut imprudentia videatur, eandem fortunam, si res cogat, recusare. Equidem mihi omnia propono: nec vllum est tantum malum, quod non putem impendere. SED CUM PLVS in metuendo mali sit, quam in illo ipso quod timetur, desino: praesertim cum id impendeat, in quo non modo dolor nullus, verum finis etiam doloris futurus sit. Sed haec satis multa, vel plura potius, quam necesse fuit: facit autem non loquacitas mea, sed beneuolentia longiores [a] 8 epistolas. Seruium discesisse Athenis, moleste tuli: non enim dubito, quin magna tibi leuationi sit solutus esse quotidianus congressus & sermo cum familiarissimi hominis, tum optimi & prudentissimi viri. Tu velim te, ut debes & soles, tua virtute sustentens. Ego qua te velle, quaeq; ad te & ad tuos pertinere arbitror, omnia studiose diligenterq; curabo: qua cum faciam, beneuolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar. Vale.

83 M. C. A. CAECINNAE S. D.

QUOTIESCUNQUE FILIVM tuum video (video autem fere quotidie) polliceor ei studium quidem meum & operam sine vlla exceptione, aut laboris, aut occupationis, aut temporis: gratiam autem atque auctoritatem, cum hac exceptione, quantum valeam, quantumq; possim. Liber tuus & lectus est, & legitur a me diligenter, & custoditur diligentissime. Res & fortuna tua tibi maxime cura sunt, quae quidem quotidie faciliores mihi & melio-

meliores videntur: multisq; video magna esse cura:
 quorum de studio et de sua spe filium ad te perscripsis-
 se, certo scio. His autem de rebus, quas coniectura
consequi possumus, non mihi sumo, ut plus ipse respici-
am, quam te videre atq; intelligere mihi persuaferim:
 sed tamen quia fieri potest, ut tu ea perturbatione
 animo cogites, puto esse meum, quid sentiam, expone-
 re. Ea natura rerum est, & is temporum cursus, ut
 non possit ista aut tibi aut ceteris fortuna esse diutur-
 na: neque hærere in tam bona causa & in tam bonis
 82 ciuibus tam acerba iniuria. Quare [b] ad eam
 spem, quam extra ordinem de te ipso habemus, non
 solum propter dignitatem & virtutem tuam (hæc en-
 nim ornamenta sunt tibi etiam cum alijs communia)
 accedunt tua præcipua, propter eximium ingenium
 summamq; virtutem: cui me hercule hicænius in-
 potestate sumus, multum tribuit. Itaq; ne punctum qui-
 dem temporis in ista fortuna fuisses, nisi eo ipso bono
 tuo, quo delectatur, se violatum putaret: quod ipsum
 lenitur quotidie, significaturq; nobis ab ijs, qui simul
 cum eo veniunt, hanc ipsam opinionem ingenij apud
 ipsum plurimum profuturâ. Quapropter primum fac
 animo forti atq; magno sis, ita enim natus, ita educa-
 tus, ita doctus es, ita etiam cognitus, ut tibi id facien-
 dum sit, deinde spem quoq; habeas firmissimam pro-
 pter eas causas, quas scripsi: à me vero tibi omnia li-
berisq; tuis paratissima esse confidas velim. Id enim
 & vetustas nostri amoris, et mea consuetudo in meos,
 & tua multa erga me officia postulant. Vale.

M. C. A. CÆCINNÆ S. D. 84

NON

NON VEREOR, NE DESIDE-
 res officium meum, quod tibi pro nostra & merito-
 rum multorum et studiorum & partium coniunctione,
 deesse non debet: sed tamen vereor, ne literarum a
me officium requiras: quas tibi & iam pridem & saepe
 misissem, nisi quotidie melius expectans gratulatione-
 nem, quam confirmationem animi tui completi lite-
 ris maluissem. Nunc autem, ut spero, breui gratula-
 bimur: itaque in aliud tempus id argumentum epi-
 stola differetur. His autem literis animum tuum, quae
 minime imbecillum esse, & audio & spero, etsi [a] 83
 non sapientissimi ac amicissimi hominis autoritate,
 confirmandum etiam atque etiam peto: nec is qui-
 dem verbis, quibus te consoletur, ut afflictum & iam
omni spe salutis orbatum, sed ut eum, de cuius inco-
 lunitate non plus dubitem, quam te memini dubitare
 de mea. Nam cum me ex Republica expulissent is,
 qui illam cadere posse, stante me, non putauerunt:
 meminim ex multis hospitibus, qui ad me ex Asia,
 in qua tu eras, venerant, audire te de glorioso & ce-
 leri reditu meo confirmare. Si te ratio quadam hui-
 usce disciplina, quam a patre nobilissimo atque optimo
 viro acceperas, non fefellit, nec nos quidem nostra
diuinitio fallit: quam tum sapientissimorum virorum
 monumentis atque praeceptis, plurimoque, ut scis, do-
 ctrinae studio, tum magno etiam usu tractanda Rei-
 publicae, magnaque nostrorum temporum varietate
 consecuti sumus. Cui quidem diuinationi hoc plus
 confidimus, quod ea nos nihil in his tam obscuris re-
 bus, tanque perturbatis nunquam omnino fefellit. Di-
 cerem, quae antea futura dixissem, ni vererer, ne ex
 euentis fingere viderer. Sed tamen plurimi sunt
 testes.

83. testes, me & initio, ne coniungeret se cum Cesare, monuisse Pompeium, & postea, ne se iungeret: coniunctione frangi senatus opes, disunctione civile bellum excutari videbam. Atq; vtebar familiarissime Cesare: Pompeium faciebam plurimi: sed erat meum consilium cum fidele Pompeio, tum salutare vtrique. Quae praeerea prouiderim, praeereo. Nolo enim hunc de me optime meritum existimare, ea me suasse Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga & princeps: sed tantas opes, quantas nunc [B] habet, non haberet. Eundem in Hispaniam censui: quod si fecisset, civile bellum nullum omnino fuisset. Rationem haberi absentis non tam repugnaui, ut liceret, quam ut, quando ipso consule pugnante populus iusserat, haberetur. Causa belli orta est: quid ego praeermisi aut monitorum aut querelarum? cum vel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem. Victa est autoritas mea non tam à Pompeio (nam is mouebatur) quam ab ijs, qui duce Pompeio freti, peropportunam, & rebus domesticis & cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant. Susceptum bellum est, quiescente me: depulsum ex Italia, manente me, quoad potui: sed valuit apud me plus pudor meus, quam timor: veritus sum deesse Pompeij saluti, cum ille aliquando non desuisset mea. Itaque vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, ut in fabulis Amphirauis, sic ego prudens & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus. Quo in bello nihil aduersi accidit non praedicente me. Quare, quando, ut augures & astrologi solent, eo quoque augur publicus ex meis superioribus praedictis constitui apud te

M

autori-

auctoritatem augurij & diuinationis mee: debet ha-
 bere fidem nostra praedictio. Non igitur ex alitis vo-
 latu, nec ex cantu sinistro oscinis, vt in nostra disci-
 plina est, nec ex tripudijs solistimis, aut somnijs tibi
 auguror: sed habeo alia signa, quae obseruem, quae
 etsi non sunt certiora illis, minus tamen habent vel
 obscuritatis vel erroris. Notantur tamen mihi ad
 diuinandum signa duplici quadam via: quarum alte-
 ram duco è Caesare ipso: alteram è temporum ciui-
 lium natura, atq; ratione. In Caesare haec [a] sunt, 8
 mitis, clemensq; natura, qualis exprimitur praclaro
 illo libro querelarum tuarum. Accedit quod mirifice
 ingenijs excellentibus, quale est tuum, delectatur:
 praeterea cedit multorum iustis precibus, & officio in-
 censis, non inanibus aut ambitiosis voluntatibus. In
 quo vehementer eum consentiens Hetruria mouebit.
 Cur haec igitur adhuc parum profecerunt? quia non
 putat se sustinere causas posse multorum, si tibi, cui
 iustus videtur irasci posse, concesserit. Quae est igitur,
 inquires, spes ab irato? Eodem fonte se haustu-
 rum intelligit laudes suas, à quo sit leuiter aspersus.
 Postremo, homo est valde acutus, & multum promi-
 dens: intelligit te hominem in parte Italia minime
 contemnenda facile omnium nobilissimum, & in com-
 muni Republica cuius summorum tua aetatis, vel in-
 genio, vel gratia, vel fama populi Romani parem, non
 posse prohibere à Republica diutius: Nollet hoc tem-
 poris potius esse aliquando beneficium, quam iam su-
 um. Dixi de Caesare: nunc dicam de temporum re-
 rumq; natura. Nemo tam est inimicus ei causae,
 quam Pompeius, animatus melius, quam paratus susce-
 perat, qui nos malos ciueis dicere, aut homines impro-
 bos

84. hos audeat. In quo admirari soleo gravitatem & insigniam & sapientiam Caesaris, qui nunquam nisi honorificentissime Pompeium appellat. At in eius personam multa fecit asperius? Armorum ista & victoria sunt facta, non Caesaris. At nos quemadmodum est complexus? Cassium sibi legavit: Brutum Gallia praefecit: Sulpitium Gracia: Marcellum, cui maxime succensebat, cum summa illius dignitate restituit. Quo igitur haec spectant? Rerum haec natura & civilium temporum non patietur, [b] nec manens, nec mutata ratio feret: primum, ut non in causa pari eadem sit & conditio & fortuna omnium: deinde, ut in eam civitatem boni viri & boni cives nulla ignominia notati non reuertantur, in quam tot nefariorum scelerum condemnati reuerterunt. Habes augurium meum, quo si quid addubitem, non potius viderer, quam illa consolatione, qua facile fortem virum sustentarem. Te, si explorata victoria arma sumfisses pro Repub. (ita enim tum putabas) non nimis esse laudandum: sin propter incertos exitus, euentusq; bellorum posse accidere, ut vinceremur, putasses: non debere te ad secundam fortunam bene paratum fuisse, aduersam ferre nullo modo posse. Disputarem etiam, quanto solatio tibi conscientia tui facti, quantae delectationi in rebus aduersis litera esse deberent. Commemorarem non solum veterum, sed & horum etiam recentum vel ducum vel comitum tuorum gravissimos casus. Etiam externos multos claros viros nominarem. LEVAT ENIM DOLOREM COMMVNIS QVASI LEGIS, ET HYMANAE CONDITIONIS RECORDATIO. Exponerem etiam, quem-

quemadmodum hic, & quanta in turbatione, quantag, in confusione rerum omnium viueremus: necesse est enim minore desiderio perdita Republica carere, quam bona. Sed hoc genere nihil opus est: incolumem te cito, vt spero, vel potius vt prospicio, videbimus: interea tibi absenti, & huic, qui adest, imagini animi & corporis tui, constantissimo atq; optimo filio tuo. studium, officium, operam, laborem meum iampridem & pollicitus sum & detuli. Nunc hoc amplius, quod me amicissime [a] quotidie magis Caesar 85
amplectitur: familiares quidem eius: secuti neminem. Apud quem quicquid valebo vel autoritate vel gratia, valebo tibi. Tu cura, vt cum fortitudine animi tui te, tum etiam spe optimorum sustentas. Vale.

A. CECINNA M. CICE-

85

RONI.

QVOD TIBI NON TAM Celeriter liber est redditus, ignosce timori nostro, & miserere temporis. Filius, vt audio, pertimuit (neq; iniuria) si liber exisset (quando non tam interest, quo animo scribatur, quam quo accipiat) ne ea res inapte mihi noceret: cum praesertim adhuc styli penas dem: qua quidem in re, singulari sum fatus. NAM cum mendum scriptura, litura tollatur, stultitia fama mulctetur: meus error exilio corrigitur: cuius summa criminis est, quod armatus aduersario maledixi. Nemo nostrorum est, vt opinor, quin vota victoriae fecerit: nemo qui etiam cum de alia re immolaret, tamen eo quidem ipso tempore, vt quamprimum Caesar superaretur, optarit: hoc si non cogitat, omni-

omnibus in rebus felix : si scit & persuasus est , quid irascitur ei , qui aliquid scripsit contra suam voluntatem , cum ignorit omnibus , qui multa deos venerati sint , contra eius salutem ? Sed ut eodem reuertar , causa haec fuit timoris , scripsi de te parce medius fidius , & timide , non reuocans me ipse , sed pene refugiens . Genus autem hoc scriptura non modo liberum , sed incitatum , atque elatum esse debere quis ignorat ? Solutum existimatur esse , alteri maledicere : tamen cauendum est , ne in petulantiam incidas :

85. Impeditum , se ipsum laudare , ne vicium [b] arrogantiae subsequar . Solum vero liberum , alterum laudare , de quo quicquid detrahas , necesse est aut infirmitati aut inuidiae assignetur . Ac nescio , an tibi gratius opportuniusq; acciderit . Nam quod praclare non poteram , primum erat non attingere : secundum beneficium , quam parcissime facere : sed tamen ego quidem me sustinui : multa minui : multa sustuli : complura ne posui quidem . QVEMADMODVM IGITVR SCALARVM GRADVS si alios tollas , alios incidas , nonnullos male haerentes relinquant , ruinae periculum struas , non ascensum pares : sic tot malis tum victum : tum fractum studium scribendi , quid dignum auribus , aut probabile potest asferre ? Cum vero ad ipsius Caesaris nomen veni , toto corpore contremisco : non paenae metu , sed ipsius iudicii : totum enim Caesarem non noui . Quem putas animum esse , ubi secum loquitur ? hoc probabit : hoc verbum suspiciosum est : quid si hoc muto ? at vereor ne peius sit . Age vero , laudo aliquam , non offendo : cum porro offendam , quid si vult ? armati stylum persequitur , victi &

nondum restitui quid faciet? Auges etiam tu mihi
timorem, qui in Oratore tuo caues tibi per Brutum,
& ad excusationem socium quæris. Vbi hoc omnium
patronus facis, quid me veterem tuum, nunc omni-
um clientem sentire oportet? In hac igitur calumnia
timoris & cæcæ suspicionis tormento, cum plurima
ad alieni sensus coniecturam, non ad suum iudicium
scribantur, quam difficile sit euadere, si minus ex-
pertus es, quod te ad omnia summum atq; excellens
armauit ingenium, nos sentimus. Sed tamen ego fi-
lio dixeram librum tibi [a] legeret, & auferret: 86.
aut ea conditione daret, si reciperes te correcturum:
hoc est, si totum alium faceres. De Asiatico itinere,
quancquam summa necessitas premebat, vt imperasti,
feci. Te pro me quid horter? vides tempus venisse,
quo necesse sit de nobis constitui. Nihil est mi Cicero,
quod filium meum expectes, adolescens est: omnia
excogitare, vel studio, vel ætate, vel metu non po-
test. Totum negotium tu sustineas oportet: in te mi-
hi omnis spes est. Tu pro tua prudentia, quibus re-
bus gaudeat, quibus capiatur Caesar, tenes: à te om-
nia profisciscantur, & per te ad exitum perducantur:
necesse est: apud ipsum multum, apud eis omnes plu-
rimum potes: vnum si tibi persuaseris, non hoc esse
tui numeris, si quid rogatus fueris, vt facias (quan-
quam id magnum & amplum est) sed totum tuum
esse, omne onus perficies, nisi forte aut in miseria ni-
mis stulte, aut in amicitia nimis imprudenter tibi o-
nus impono. Sed vtriq; rei excusationem tua vite
consuetudo dat: nam quod ita consueuisti pro amicis
laborare, non iam sic sperant abs te, sed etiam sic im-
perant tibi familiares. Quod ad librum attinet, quem
tibi

tibi filius dabit, peto à te, ne exeat: aut ita corrigas,
ne mihi noceat. Vale.

M. C. A. CÆCINNÆ

S. D.

86

CUM ESSET MECUM LAR-

gus, homo tui studiosus, locutus, Calend. Ianuar.
tibi præfinitas esse, quod omnibus in rebus perspe-
xeram, quæ Balbus & Oppius absente Casare egissent,
ea solere illi rata esse, egi vehementer cum his, ut
hoc mihi darent, tibi in Sicilia, quod vellemus, vi-
esse liceret: Qui mihi consueissent aut libenter polli-
ceri, si quid esset eiusmodi, quod eorum animos non
offenderet, aut etiam negare & asserere rationem cur
negarent: huic meæ actioni vel rogationi potius, non
continuo responderunt: eodem die tamen ad me re-
uerterunt, mihiq; hoc dederunt, ut esses in [b] Si-
cilia, quoad velles, se præstituros, nihil ex eo te of-
fensionis habiturum. Quando quid tibi permittatur,
cognouisti quid mihi placeat, puto te scire oportere.
Actis his rebus, literæ à te mihi reddite sunt, quibus
à me consilium petis, quod sim tibi autor, in Sicilia ne
subsideas, an ut ad reliquias Asiaticæ negotiationis
proficiscere. Hæc tua deliberatio non mihi conue-
nire visa est cum oratione Largi. Ille enim mecum,
quasi tibi non liceret in Sicilia diutius commorari,
ita locutus erat: tu autem quasi concessum sit, ita
deliberas. Sed ego siue hoc, siue illud est, in Sici-
lia censeo commorandum. Propinquitas locorum
vel ad impetrandum adiuvat crebris literis &
nuncijs, vel ad reditus celeritatem, re aut impetra-

M 4

ta, aut

ta, aut quod spero, aliqua ratione confecta. Quamobrem cenſeo magnopere commorandum. T. Furſano Poſthumio familiari meo, legatiſq; eius, item meis familiaribus diligentiffime te commendabo, cum venerint: erunt enim omnes Mutine, viri ſunt optimi, & tui ſimilium ſtudioſi & mei neceſſarij. Que mihi venient in mentem, que ad te pertinere arbitror, ea mea ſponte faciã. Si quid ignorabo, de eo admonitus, omnium ſtudia vincam. Ego etſi coram de te cum Furſano ita loquar, vt tibi literis meis ad eum nihil opus ſit: tamen quoniam tuis placuit, te habere meas [a] literas, quas ei redderes, morem eis geſi: earum 87
literarum exemplum infra ſcriptum eſt. Vale.

87 M. T. C. FURFANO PRÆTORI S. D.

Exordium.

CUM A CAECINNA TANTA mihi familiaritas, conſuetudoq; ſemper fuit, vt nulla maior eſſe poſſit. Nam & patre eius claro homine & forti viro plurimum uſi ſumus: & hunc à puero, quod & ſpem mihi magnam afferebat ſummæ probitatis, ſummæq; eloquentiæ, & vivebat mecum coniunctiſſime, non ſolum officijs amicitia, ſed etiam ſtudijs communibus, ſic ſemper dilexi, vt non villo cum homine coniunctius viverem. Nihil attinet me plura ſcribere, quod mihi neceſſe ſit eius ſalutem & fortunas, quibuscunq; rebus poſſim tueri, vt vides. Reliquum eſt, vt cum cognorim pluribus rebus, quid tu & de bonorum fortuna, & de Reipublica calamitatibus ſentires, nihil à te petam, niſi vt ad eam voluntatem, quæ tua ſponte erga Cæcinnam habiturus eſſes, tantus cùmulus accedat

Propoſitio.

cedat

cedat commendatione mea, quanti me à te fieri intel-
ligo. Hoc mihi gratius facere nihil potes Vale. *Conclusio.*

Accro confocatur Trebejum exfulum spe
M. C. CREATIO S. D. 88
reditus et pollicitatione omnis suis ego.

EGO QUANTI TE FACIAM,

Exordium
tebatur
mutuum
amorem
semperq; fecerim, quanti me à te fieri intellexerim,
sum mihi ipse testis. Nam & consilium tuum, vel
casus potius, diutius in armis civilibus commorandi,
semper mihi magno dolori fuit: & hic euentus, quod
tardius, quam est equum, & quam ego vellem, re-
ceperis fortunam & dignitatem tuam, mihi non mi-
nori cure est, quam tibi semper fuerint [b] ca-
sus mei.

87. Itaq; Posthumuleno & Sextio, & sepius-
me Attico nostro, proximeq; Tene liberto nostro
tunc me patefecit. & his singulis saepe dixi: quacumq;
re possem, tibi & literis tuis satisfacere cupere:
idq; tu ad nos velim scribas, hac quidem certe, qua in
potestate mea sunt, vi operam, studium, consilium,
rem, fidem meam, sibi ad omnes res parata putent.
Sin autoritate & gratia tantum possem, quantum in
ea Repub. de qua ita meritus sum, posse deberem:
tu quog; is esses, qui fuisti, cum omni & ad amplius
tuo dignitatis, tum certe ordinis tui facie princeps.
Sed quando eodem tempore, eademq; de causa no-
strum uterq; cecidit: tibi & illa polliceor, qua supra
scripsi, qua sunt adhuc mea: & ea que praterea vi-
deor mihi ex aliqua parte reimmere tanquam ex reli-
quis pristina dignitatis. Neq; enim ipse Caesar, vi
multis rebus intelligere potui, est alienus a nobis: &
omnes fere familiares eius, quasi de iunctis meis ma-
gnis ceterorum officiis, me diligenter observant & co-
lunt,

lunt. Itaq; si quis mihi erit aditus de tuis fortunis, id est, de tua incolumitate, in qua sunt omnia agendi, quod quidem quotidie magis ex eorum sermonibus adducor, ut sperem: agam per me ipse, & moliar, singula persequi non est necesse: vniuersum studium meum & benevolentiam ad te defero. Sed magni mea interest, hoc tuos omnes scire, quod tuis literis fieri potest: ut intelligant omnia Ciceronis patere Trebatio. Hoc eo pertinet, ut nihil existiment esse tam difficile, quod non pro te mihi susceptum, iucundum sit futurum. [a] Antea misissem ad te literas, si genus scribendi inuenirem: tali enim tempore aut consolari amicorum est, aut polliceri. Consolatione non vtebar, quod ex multis audiebam, quam fortiter, sapienterq; ferres iniuriam temporum, quamq; te vehementer consolatur conscientia factorum & consiliorum tuorum, quod quidem si facis, magnum fructum studiorum optimorum capis, in quibus te scio semper esse versatum: idq; ut facias, etiam atq; etiam hortor. Simul & illud tibi homini peritissimo rerum & exemplorum & omnis vetustatis, ne ipse quidem rudis, sed in studio minus fortasse, quam vellem, & in rebus atq; usu plus etiam quam vellem, versatus, spondeo, tibi acerbiter istam & iniuriam non diuturnam fore. Nam & ipse qui plurimum potest, quotidie mihi delabi ad equitatem & ad rerum naturam videtur: & ipsa causa ea est, ut iam simul cum Republica, quae in perpetuum iacere non potest, necessario reuiuiscat atq; recreetur: quotidieq; aliquid sit lenius ac liberalius, quam timebamus. Quae quando in temporum inclinationibus saepe paruis posita sunt, omnia momenta obseruabimus.

mus, neq; vllum pratermitteremus tui iuuandi & leuandi locum. Itaq; illud alterum, quod dixi, litterarum genus, quotidie mihi, vt spero, fiet procluius, vt etiam polliceri possim: id re quam verbis faciam libentius. Tu velim existimes, & plureis te amicos habere, quam qui in isto casu sint ac fuerint, quantum quidem ego intelligere potuerim: & me concedere eorum nemini. Fortem fac animum habeas & magnum, quod est in vno te: quae sunt in fortuna, temporibus regentur, & consilijs nostris prouidebuntur. Vale.

88. [b]

M. C. TREBATIO.

89

X.

DOLABELLAM ANTEA TANTUMmodo diligebam, obligatus ei nihil eram, nec enim acciderat mihi opus esse: & ille mihi debebat, quod non defueram eius periculis. Nunc tanto sum deuinctus eius beneficio, quod & antea in re, & hoc tempore in salute tua cumulatissime mihi satisfecit, vt nemini plus debeam. Qua in re tibi gratulor ita vehementer, vt te quoq; mihi gratulari, quam gratias agere malim: alterum non omnino desidero, alterum vero facere poteris. Quod reliquum est, quando tibi virtus & dignitas tua reditum ad tuos aperuit: est tua sapientia, magnitudinisq; animi, quid amiseris, obliuisci, quid recuperaueris, cogitare. Vives cum tuis, viues nobiscum, plus acquisisti dignitatis, quam amisisti rei familiaris, qua ipsa tamen esset incundior, si vlla esset Respub. Nestorius noster familiaris ad me scripsit, te mihi maximas gratias agere. Hac predicatio tua mihi valde grata est, eaq; te vti facile patior, cum apud alios, tum

mcher-

mehercule apud Syronem nostrū amicū. *Que enim facimus, ea prudentissimo cuiq; maxime probata esse volumus. Te cupio videre quamprimum. Vale.*

90 M. C. APPIO BALBO S. D.

12.

GRATVLOR TIBI MI BALEE

vereq; gratulor: nec sum tam stultus, vt te vsura falsi gaudij frui velim, deinde frangi repente, atq; ita cadere, vt nulla res te ad equitatem animi postea posset extollere. Egi tuam causam apertius, quam tempora nostra ferebant. Vincebatur [a] enim fortuna ipsa debilitate gratiæ nostræ, tui caritate, & meo perpetuo erga te amore, culto à te diligentissime. Omnia promissa, confirmata, certa & rata sunt, quæ ad reditum & salutem tuam pertinent: vidi, cognoui, interfui: etenim omneis Cæsaris familiares satis oportune habeo implicatos consuetudine & beneuolentia, sic, vt cum ab illo discesserint, me proximum habeant. Hoc Pansa, Hirtius, Balbus, Oppius, Marius, Posthumius, plane ita faciunt, ne me vnice diligant. Quod si mihi per me efficiendum fuisset, non me pæniteret pro ratione temporum ita esse molitum. Sed nihil est à me inseruitum temporis causa: veteres mihi necessitudines cum his omnibus intercedunt, quibus cum ego agere de te non destitui. Principem tamen habuimus Pansam, tui studiosissimum, mei cupidum, qui valet apud illum non minus autoritate, quam gratia. Cimber autem Tullius mihi plane satisfecit. Valent tamen apud Cæsarem non tam ambitiose rogationes, quam necessarie, quas quia Cimber habebat, plus valuit, quam pro
vilo

illo alio valere potuisset. Diploma statim non est
 datum, quod mirifica est improbitas in quibusdam,
 qui tulissent acerbius, veniam tibi dari, quem illi ap-
 pellant tubam belli civilis; multaq; ita dicunt, quasi
 non gaudeant id bellum incidisse. Quare visum est
 occultius agendum, neq; vlllo modo divulgandum, de
 te iam esse perfectum: sed id erit perbreui: nec dubi-
 to, quin legente te has literas confecta iam res futu-
 ra sit. Pansa quidem mihi, grauis homo & cer-
 tus, non solum confirmauit, verum etiam recepit,
 perceleriter se ablaturum Diploma. Mihi tamen
 89. [b] placuit, hac ad te perscribi, minus enim te
 firmum sermo Apuleia tua, lacrimaq; Appia decla-
 rabant, quam significant literae tuae: atq; ille arbi-
 trabantur, cum a te abessent ipsa, multo in grauiore
 cura te futurum. Quare magnopere putavi angorib;
& doloris tui leuandi causa, pro certis ad te ea, quae
 essent certa, perscribi oportere. Scis me antea lo-
 cutum esse scribere ad te, magis vt consolarer for-
 tem virum atq; sapientem, quam vt exploratam
 spem salutis ostenderem, nisi eam, quam ab ipsa Rep.
 cum hic ardor extinctus esset, sperari oportere cen-
 serem. Recordare tuas literas, quibus & magnum
 animum mihi semper ostendisti, & ad omnes casus
 ferendos constantem atq; paratum, quod ego non
 mirabar, cum recordarer te & a primis tempori-
 bus atatis in Repub. esse versatum, & tuos magistra-
 tus in ipsa discrimina incidisse salutis, fortunarumq;
communium: & in hoc ipsum bellum esse ingressum,
 non solum vii victor beatus, sed etiam vi si ita acci-
 disset, victus & sapiens esses. Deinde cum studi-
 um tuum consumas in virorum fortium factis memo-
 ria pro-

ria prodendis, considerare debes, nihil tibi esse com-
mittendum, quamobrem eorum, quos laudas, non te
similem praebeas. Sed haec oratio magis esset apta ad
 illa tempora, quae iam effugisti. Nunc vero tantum te
 para ad haec nobiscum ferenda, quibus ego, si quam
 medicinam inuenirem, tibi quoque eandem traderem.
Sed est unum periculum, doctrina & litera, quibus
 semper usi sumus: quae secundis rebus delectationem
 modo habere videbantur, nunc vero etiam salutem.
 Sed, ut ad initium reuertar, caue dubites, quoniam om-
 nia de salute ac reditu tuo perfecta sint. Vale.

[a] M. C. Q. LIGARIO. S. D. 91. 90

ESTI TALI TVO TEMPORE
 me aut consolandi aut iuvandi tua causa scribere ad
 te aliquid pro nostra amicitia oportebat: tamen ad-
 huc id non feci, quia neque lenire videbar oratione,
 neque leuare posse dolorem tuum. Postea vero quam
magnam spem habere coepi, fore, ut te breui tempore
incolumem haberemus, facere non potui, quoniam tibi &
sententiam & voluntatem declararem meam. Pri-
 mum igitur scribam quod intelligo & prospicio, non
 fore in te Caesarem duriores, nam & res eum quo-
 tidie, & dies & opinio hominum, & ut mihi vide-
 tur, etiam sua natura mitiorem facit: id cum de re-
 liquis sentio, tum de te etiam audio ex familiarissimis
 eius, quibus ego ex eo tempore, quo primum ex A-
 frica nuncius venit, supplicare una cum fratribus tuis
 non destiti: quorum quidem & virtute, & pieta-
 te, & amore in te singulari, & assidua, & perpe-
 tua salutis tuae cura tantum profeci, ut nihil sit,
 quod

quod non ipsum Casarem tributurum existimem, & si tardius sit, quam volumus, magnis occupationib. eius, a quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliore fuerunt, & simul Africana causse iratior, diutius velle videtur eos habere sollicitos, a quibus se putat diuturnioribus esse molestijs confectatum: sed hoc ipsum intelligimus, eum quotidie remissius & placatius ferre. Quare mihi crede, & memorie manda, me tibi id affirmasse, te in istis molestijs diutius non futurum. Quando quid sentirem exposui: quid vellem tua causa, re potius declarabo, quam oratione. Et si tantum possem, quantum [b] in ea Repub. de qua ita meritis sum, vi tu existimas, posse debebam: ne tu quidem in istis incommodis esses. Eadem enim causa opes meas fregit, que tuam salutem in discrimen adducit. Sed tamen quicquid in ego veteris mee dignitatis, quicquid relique gratia valebunt, studium, consilium, opera, gratia, fides mea nullo loco deerit tuis optimis fratribus. Tu fac habeas fortem animum, quem semper habuisti: primum ob eas causas, quas scripsi, deinde, quod ea de Repub. semper voluisti atq; sensisti, vi non modo nunc secunda sperare debeas, sed etiam, si omnia aduersa essent, tamen ex conscientia & factorum & consiliorum tuorum, quacumq; acciderint, fortissimo & maximo animo ferre deberes. Vale.

M. C. Q. LIGARIO S. D. 92

14
MERSCITO OMNEM MEVM
laborem, omnem operam, curam, studium in
tua salute consumere: nam cum te semper maxi-
me dilexi, tum fratrum tuorum, quos aque atque

te, summa beneuolentia sum-complexus, singularis pietas, amorq; fraternus, nullum me patitur officij erga te studiūq; munus aut tempus praefermittere, sed quae faciam, fecerimq; pro te, ex illorum te literis, quam ex meis malo cognoscere. Quid autem sperem, aut confidam, & exploratum habeam de salute tua, id tibi à me declarari volo. Nam si quisquam est timidus in magnis, periculosissq; rebus, semperq; magis aduersos rerum exitus metuens, quam sperans secundos is ego sum: & si hoc vicium est, eo me non carere confiteor. Ego idem tamen cum II. Cal. [a] inter calareis priores, rogatu fratrum tuorum venissem mane ad Caesarem, & omnem adeundi & conueniendi illius indignitatem & molestiam pertulissem, cum fratres & propinqui tui iacerent ad pedes, & ego essem locutus, quae causa, quo tempus tum postulabat: non solum ex oratione Caesaris, quae sane mollis & liberalis fuit: sed etiam ex oculis & vultu, & multis praeterea signis, quae facilius perspicere potui, quam scribere, hanc in opinionem discesi, vt mihi tua salus dubia non esset. Quamobrem sac animo magno, fortis sis: & si turbidissima sapienter ferebas, tranquilliora late feras. Ego tamen tuis rebus sic adero, vt difficilimis: neq; Caesari solum, sed etiam amicis eius omnibus, quos mihi amicissimos esse cognoui, pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo. Vale.

15
TIBI GRATV LOR, MIHI gaudeo, te amo, tua tueor, à te amari, & quid agas, quidq; istic agatur, certior fieri volo. Vale.

Bithy-

BITHYNICVS CICERONI. 94

¹⁶
 SI MIHI TECVM NON ET
 multa et iustæ causæ amicitia priuatim essent, repete-
 rem initia amicitie ex parentib. nostris: quod faciun-
 dum ijs existimo, qui paternam amicitiam nullis ipsi
 officijs prosecuti sunt. Itaq; contentus ero nostra ipso-
 rum amicitia, cuius fiducia peto à te, vt absentem me
 quibuscunq; in rebus opus fuerit, tueare, si nullum offi-
 cium tuum apud me intermoriturum existimas. Vale.

91. [b] M. C. BITHYNICO S. 95

¹⁷
CVM CAETERARVM RERVM
 causa cupio esse aliquando Rempubicā constitutam:
 tum velim mihi credas, accedere id etiam, quo magis
 expeam promissum tuum, quo literis tuis vteris. Scri-
 bis enim, si ita sit, te mecum esse victurum. Gratisima
 mihi tua voluntas est, facisq; nihil alienum à neces-
 situdine nostra, iudicijsq; patris tui de me, summi viri.
 Nam sic habeto, beneficiorum magnitudine eos, qui
 temporibus valuerunt, aut valeant, coniunctiores te-
 cum esse, quam me necessitudine, neminem. Quam-
obrem grata mihi est, & memoria tua nostræ con-
iunctionis, & eius etiam augenda voluntas. Vale.

M. C. LERTÆ S. D. 96

¹⁸
 SIMVL VT ACCEPI A SE-
 leuco tuas literas, statim quæsiui è Balbo per codicil-
 los, quid esset in lege. Rescripsit eos qui facerent præ-
 conium, vetari esse in decurionibus, qui fuissent, non
 N vetari.

vetari. Quare bono animo sint & tui & mei familia-
res: neque enim erat ferendum, cui qui hodie aruspici-
nam facerent in senatu Roma legerentur: eos qui
aliquando praeconium fecissent, in municipijs decurio-
nes esse non licere. De Hispanijs noui nihil: magnum
tamen exercitum Pompeium habere constat. Nam
Caesar ipse ad nos misit exemplum Patieti literarum,
in quo erat, illi undecim esse legiones, scripserat enim
Messala Q. Salasso, Qu. Curtium fratrem eius, iussu
Pompeij inspectante exercitu interfectum, quod con-
sensisse cum Hispanis quibusdam, si in oppidum nescio
quod Pompeius rei frumentariae [a] caussa venisset, 92
eum comprehendere, ad Caesaremque deducere. De ne-
gocio tuo, quod sponsor es pro Pompeio, si Galba con-
sponsor tuus redierit, homo in re familiari non parum
diligens, non desinam cum illo communicare, si quid
expediri possit, quod videbatur mihi ille confidere.
Oratorem meum tantopere à te probari, vebemen-
ter gaudeo. Mihi quidem sic persuadeo, me, quicquid
habuerim iudicij de dicendo, in illum librum contulisse.
Qui si est talis, qualem tibi videri scribis, ego quoque
aliquid sum: sin aliter, non recuso, quin quantum de
illo libro, tantundem de mei iudicij fama detrabatur.
Leptam nostrum cupio delectari iam talibus scriptis,
etsi abest maturitas etatis, iam tamen personare au-
reis eius huiusmodi vocibus, non est inutile. Me Roma
tenuit omnino Tullia mea partus. Sed cum ea, quem-
admodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum à
Dolabella procuratoribus exigam primam pensio-
nem: & mehercule non tam sum peregrinator iam,
quam solebam, aedificia mea me delectant, & ocium
domus est, quae nulli villarum mearum cedat, ocium
omni

omni desertissima regione maius. Itaq, ne litera quidem mea impediuntur : in quibus sine vlllo interpellatore verbor. Quare, vt arbitror, prius hic te nos, quam istic tu nos videbis. Lepta suauissimus ediscat Hesiodum, & habeat in ore :

τ δ' ἀρετῇ ἰδρωτα θεοὶ προπάρουθιν ἔθνη καὶ
ἀθάνατοι. μακρὸς δ' καὶ ἄεθλος ὄμιος ἐπ' αὐτῶν,
καὶ πρηνὺς τὸ πρῶτον, ἐπὶ δ' εἰς ἄκρον ἰκνῆ,
ἐνὶ δ' ἰν δ' ἡπείτα πᾶσι χαλεπήπριε εὖσα. Vale.

92. [a] CICERO LEPTÆ S. D. 97

MACVLAM OFFICIO FVN-
ctum esse gaudeo : eius Falernum mihi semper idoneum visum est diuersorio, si modo tectis satis est ad comitatum nostrum recipiendum. Caterum is mihi quidem locus non displicet : nec ea re Petrinum tuum deseram. Nam & villa & amœnitas illa, commorationis est, non diuersorij. De curatione aliqua numerum regionum cum Oppio locutus sum : nam Balbum, posteaquam tu es profectus, non vidi, tantis pedum doloribus afficitur, vt se conuenire nolit. Omnino de tota re, vt mihi videris, sapientius faceres, si non curares : quod enim eo labore assequi vis, nullo modo assequere : tanta est enim intimorum multitudo, vt ex his potius aliquis effluat, quam nouo sit auditis : præsertim qui nihil asserat præter operam, in qua ille se dedisse beneficium putabit (si modo ipsum sciet) non accepisse. Sed tamen aliquid videbimus, in quo sit spes : aliter quidem non modo appetendum, sed etiam fugiendum puto. Ego me Asturæ diutius arbitror commemoraturum, quod ille quandoq, veniat. Vale.

N 2

Cicero

98 CICERO TORANIO S. D.

DEDERAM²⁰ TRIDVO ANTE
 pueris Cn. Plancij literas ad te, eo nunc ero breuior,
 teg, vt antea consolabar, hoc tempore monebo. Nihil
 puto tibi esse vtilius, quam ibidem operiri, quod scire
 possis, quid tibi agendum sit. Nam prater nauigationis
 longa, & hyemalis, & minime portuosa periculum,
 quod vitaueris, ne [a] illud quid negligendum, quam-
 uis subito, cum certi aliquid audieris, te isthinc posse
 proficisci. Nihil est prater ea, cur aduenientibus te of-
 ferre gestias: multa prater ea metuo, quae cum Milone
 nostro communicau. Quid multa? Loco opportuno-
 re in his malis nullo esse potuisse, ex quo te, quocunq,
 opus erit, facillime & expeditissime conseras. Quod si
 recipiet ille se, ad tempus aderis: sin (quoniam multa
 accidere possunt) aliqua res eum vel impedit, vel
 morabitur, tu ibi eris, vt omnia scire possis: hoc mihi
 prorsus valde placet. De reliquo vt te saepe per literas
 hortatus sum, ita velim tibi persuadeas, te in hac caus-
 sa nihil habere, quod timendum sit, prater commu-
 nem casum ciuitatis: qui etsi est grauissimus, tamen
 ita viximus, & id etatis iam sumus, vt omnia, quae non
 nostra culpa nobis accident, fortiter ferre debeamus.
 Hic tui omnes valent, summaq, pietate te desiderant
 & diligunt & colunt. Tu & cura vt valeas, & te ist-
 hinc ne temere commoueas. Vale.

99 CICERO TORANIO S. D.

ETSI CVM²¹ HARC AD TE
 scriberem, aut appropinquare exitus huius calami-
 tosisimi

Consolatus

93. tofissimi belli, aut iam aliquid actum, aut confectum videbatur, tamen quotidie commemorabam, te unum in tanto exercitu mihi fuisse assensorem, & me tibi, solosq; nos vidisse, quantum esset in eo bello mali, in quo spe pacis exclusa, ipsa victoria futura esset acerbissima, quæ aut interitum allatura esset, si victus esset, aut si vicisset, seruitutem. Itaq; ego, quem tum fortes illi viri & sapientes, [b] Domitij & Lentuli, timidum esse dicebant (& eram plane, timebam enim, ne euenirent ea, quæ acciderunt) idem nunc nihil timeo, & ad omnem euentum paratus sum. Cum aliquid videbatur caueri posse, tum id negligi dolebam, nunc vero euersis omnibus rebus, cum consilio profici nihil possit, una ratio videtur, quicquid euenit, ferre moderate. PRÆSENTIM CVM OMNIUM RERVM MORS SIT EXTREMVM: & mihi sum conscius, me quoad licuerit, dignitati Reipublicæ consuluisse: & hac amissa salutem retinere voluisse. Hæc scripsi, non ut de me ipse dicerem, sed ut tu, qui communissima fuisti mecum & sententia & voluntate, eadem cogitares. MAGNA ENIM consolatio est, cum recordare, etiam si secus acciderit, te tamen recte verèq; sensisse. Atq; vtinam liceat aliquando aliquo Reipublicæ statu nos frui, interq; nos conferre sollicitudines nostras, quas pertulimus tum, cum timidi putabamur, quia dicebamus ea futura, quæ facta sunt. De tuis rebus nihil esse, quod timeas, præter vniuersa Reipublicæ interitum, tibi confirmo. De me autem sic velim iudices, quantum ego possim, me tibi, salutis tuæ, liberisq; tuis summo cum studio præsto semper futurum. Vale.

100 CICERO DOMITIO S. D.

²²
NON EA RES ME DETER-
 ruit, quo minus postea quam in Italiam venisti, lite-
 ras ad te mitterem, quod tu ad me nullas miseris: sed
quia nec quid tibi pollicerer ipse egens rebus omni-
bus, nec quid suaderem, cum mihi metipsi consilium
deesset, nec quid consolationis afferrem in tantis ma-
lis, reperiēbam. Hæc quanquam nihilo [a] meliora
 sunt, nunc etiam atq; etiam multo desperatiora, ta-
 men inaneis esse meas literas, quam nullas malui. Ego
 si te intelligerem plus conatum esse suscipere Reipub-
 licæ causæ muneris, quam quantum præstare potuiss-
 es: tamen quibuscunq; rebus possem, ad eam condi-
 tionem te viuendi, quæ daretur, quæq; esset, hortarer.
 Sed cum consilij tui bene fortiterq; suscepti, eum tibi
 finem statueris, quem ipsa fortuna terminum nostra-
 rum contentionum esse voluisset, oro, obtestorq; te pro
nostra vetere coniunctione ac necessitudine: proq;
summa mea in te beneuolentia, & tua in me pari-
ter, te ut nobis, parenti, coniugi, tuisq; omnibus, qui-
bus es, fuisti semper carissimus, saluum conserues:
incolumitati tuæ, tuorumq;, qui ex te pendent, cons-
ulas: quæ didicisti, quæq; ab adolescentia pulcerrime
à sapientissimis viris tradita, memoria & scientia
comprehendisti, ijs hoc tempore vtare, quos coniun-
ctos summa beneuolentia, plurimisq; officijs amixisti,
eorum desiderium, si non æquo animo, at forti feras.
 Ego quid posim, nescio, vel potius me parum posse
 sentio: illud tamen tibi polliceor, me, quacunq; sa-
luti, dignitatiq; tuæ conducere arbitror, tanto stu-
dio esse facturum, quanto semper tu & studio & offi-

cio in meis rebus fuisti. Hanc meam voluntatem ad matrem tuam optimam feminam, tuig, amantissimam detuli. Si quid ad me scripseris, ita faciam, ut te velle intellexero. Sin tu minime scripseris, ego tamen omnia quae tibi vtilia esse arbitror, summo studio, diligentiaq, curabo. Vale.

24. [b]
M. T. CICERONIS EPISTOLARVM LIBER VIII AD M. MARIVM, ET CÆTEROS.

M. CICERO M. MARIO

S. D.

101

SI TE DOLOR ALIQUIS CORPORIS, aut infirmitas valetudinis tua tenuit, quominus ad ludos venires, fortuna magis tribuo, quam sapientia tua. Sin hac quae ceteri mirantur contemnenda duxisti, & cum per valetudinem posses, venire tamen noluisti, vtrunq, lator, & sine dolore corporis te fuisse, & animo valuisse, cum ea, quae sine causa mirantur alij, neglexeris: modo ut tibi constiterit fructus oculi tui, quo quidem tibi persui mirifice licuit, cum esses in ista amœnitate pene solus relictus. Neg, tamen dubito quin tu ex illo cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianum perforasti, & patefecisti Seianum, per eos dies matutina tempora lectiunculis consumseris: cum illi interea, qui te istic reliquerunt, spectarent communis mimos semisomni. Reliquas vero partis diei tu consumebas his delectationibus, quas tibi ipsi ad arbitrium tuum comparas,

N 4

nobis